



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Qvarta Aduentus, Euangelium Ioan. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMINICA IIII.

DOMINICA QUARTA AD
uentus, Euangelium
Ioan. 1.

HOC EST TESTIMONIUM IO-
annis, quando miserunt Iudæi ab
Hierosolymis sacerdotes & Leui-
tas, ut interrogarent eum: Tu quis es?
Et confessus est, & non negauit. Et con-
fessus est, inquiens: Non sum ego Chris-
tus. Et interrogauerunt eum. Quid er-
go? Helias es tu? Et dicit: Non sum. Es tu
propheta? Et respondit: Non. Dixerunt
ergo ei: Quis es? ut responsum demus
ijs, qui miserunt nos. Quid dicis de te
ipso? Ait: Ego uox clamantis in deser-
to, Dirigite uiam Domini, sicut dixit
Esa. 40. Esaias Propheta: Et qui missi fuerant,
erant ex Phariseis, & interrogauerunt
eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas,
si tu non es Christus, neq; Helias, neque
Propheta? Respondit eis Ioannes, di-
cens: Ego baptizo aqua. Sed in medio ue-
strum stat, quem uos nescitis. Ipse est, qui
post

post me uenit, qui prior me est, cuius ego non sum dignus, ut soluam lorum calciamenti. Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

LOCI SEX SVNT.

PRIMVS. Quod oportet extare testimonia de Christo, sicut statim initio post natiuitatem testabantur, de eo Angeli, Ioseph, Pastores, Simeon, Anna, Magi, Zacharias. Et nunc Ioannes de eo testatur, deinde accesserunt miracula. His testimonijs multi uocati sunt ad Euangelium, & fides piorum confirmata est. Item hic cernitur quæ fuerit ecclesia in hoc populo, scilicet exiguus coetus credentium.

*Testimo-
nia de
chro sua
necessa-
ria.*

SECUNDVS. De uocatione. an liceat docere, & caeremonias instituere, non uocato ab ordinaria potestate. De hac re hic præcipua questio est, & semper magna contentio est ordinariæ potestati cum Prophetis, quos mittit Deus extra ordinem, ad reprehendendam ordinariam potestatem. Ideo hic expostulant sacerdotes cum Ioanne, qui abducebat populum ab ordinario ministerio, tradebat nouum uerbum, recipiebat Gentes, instituebat nouam caeremoniam. Hæc fiebant omnia sine autoritate summi sacer-

*De vo-
catione
conci-
natoris.*

DOMINICA IIII.

dotis. **I**oannes respondet de uocatione sua, inquit, se diuinitus missum esse, & allegat uerbum **D**e*i* ex **E**saia. 40.

Conci
natoris
officiu

Act. 5.

Sic in genere omnes, qui sunt in ministerijs, debent reprehendere impiam doctrinam, siue ordinaria potestas assentiatur, siue non. **I**uxta illud, **O**portet **D**e*o* magis obedire, quam hominibus. **D**ocet igitur, cum discedimus ab ordinaria potestate, discendum esse mandato diuino, scilicet, ne approbemus impiam doctrinam, aut impios cultus.

Ioannis
testimo
nium.

TERTIVS. Confessio **I**oannis est exemplum constantiae, & perspicuae confessionis. **N**on deterretur autoritate **P**ontificum, & clare confitetur quae sit sua uocatio, quod munus, quis sit, & testatur de **C**hristo, quod sit filius **D**e*i*, quod fuerit ante assumptam naturam humanam, quod sit agnus **D**e*i*, id est uictima.

QVARTVS. Exemplum pertinaciae & caecitatis sacerdotum, qui discedunt hostili animo, spreto testimonio **I**oannis.

Baptismus
Ioannis
& **C**hristi
qd differat.

QVINTVS. Quid differat **B**aptismus **I**oannis, à baptismo **C**hristi. **C**eremonia nihil differt, & **I**oannes est primus, per quem ceremonia diuinitus instituta est. **N**ec effectus differt, requiritur fides, siue **I**oannes, siue **A**postoli baptizent, **E**t sic fide proderat **b**aptismus **I**oannis: sicut postea prodest **b**aptismus **A**postolorum.

Apostolorum.

Sed inter personam **Ioannis** & **Christi** est discrimen. **Ioanes**, id est, omnes ministri baptizant aqua in m^o v^o: id est, administrant ceremoniam & uerbum. **Christus** & **Chrm** igni baptizat, id est, dat spiritum sanctum, qui iudicat & arguit peccatum in nobis, & affert nouam uitam & lucem.

SEXTVS. Quis sit **Christus**, **Ioannes** clarè testatur, hunc **Iesum** esse filium **Dei**, & quidem antea fuisse, ante assumptam humanam naturam, affirmat esse redemptorem, passurum pro mundo. Ideo inquit: **Eccce agnus Dei**, qui tollit peccatum mundi, id est, est uictima à **Deo** proposita, sola placens **Deo**, sustinens poenas pro peccatis mundi & c. Hic simul interpretatur sacrificia legis, quòd fuerint tantum signa huius futuri sacrificij, & non iustificauerint.

DIE NATALI CHRISTI, EV-
angelium **Ioan. i.**

IN PRINCIPIO ERAT VERBUM,
& uerbum erat apud **Deum**, & **Deus**
erat uerbum. Hoc erat in principio
apud **Deum**. Omnia per ipsum facta
sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum
C 3 ctum